

## LECTORI BENEVOLO.

**C**um rarioribus Naturæ speculationibus  
(Lector benevole) diu operam cum ma-  
ximis laboribus & vigiliis dederim, non  
solum animalium, mineralium & plantarum hi-  
storiæ, sed etiam artibus ferè omnibus & scientiis  
curiosis, præsertim Hermeticis & Galenicis disci-  
plinis, de quibus omnibus ingentia volumina, ma-  
xima cum sedulitate collegi, quæque tibi à longo  
tempore denovi, ab utiliori nempe ab observatio-  
nibus meis Medicis incipere placuit, Medicos enim  
naturâ prudentes interest, in exemplis ex Zacuto-  
Lusitano exercitari; in meis autem multa utilia,  
simulque rara & inaudita invenies, quæ initium  
librorum meorum erunt, si tibi placuerint, ut & fi-  
nis eorum, si tibi displicuerint.

Video quidem multos de hisce observationibus  
dubitatos, sed videant Hellerium, de puella sine  
ossibus duris nata, videant Marcelli Donati,  
Schenkii & S. Goulartii historias prodigiosas, ut &  
Lycosthenem de ostentis, & de hisce postea non du-  
bitabunt. Zoilos autem ad Epistolam superiorem,  
& ad perorationem meam mitto, in quibus, quæ  
ipso attinent, reperturi sunt. Vale.